



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXXIX. De Syndico per solum Abbatem revocato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)



TITULUS XXXIX.

De Syndico.

DECISIO XXXIX.

De Syndico per solum Abbatem revocato.

SPECIES FACTI.

Monasterium B. V. MARIÆ, scilicet Conventus, canonicè elegit Syndicum, approbante Prælato ad agendas & defendendas causas Monasterii. Verùm cum Abbas adverteret, Syndicum non eâ, qua par erat, industriâ, & peritiâ, felicitatè-que exigua causas Monasterii tractare,

& modò hanc modò aliam litem dedit, revocavit Syndicum, cum deinceps potestate privatum. Quò verò Syndicus bonos habuit annos ex Conventu, illos sollicitavit ad pugnandam Prælati revocationem, quam de Jure invalidam.

QUESTIO.

An Abbas sine consensu Capituli possit revocare Syndicum?

Negantibus patrocinatur c. 1. § l. 35. ff. de R. L. ubi habetur, unumquodque dissolvi eo modo, quo colligatum est, & idem jus servari in distractu, quod in contractu: sed Syndicus Monasterii fuit constitutus, & constitui debuit, cum consensu Capituli & Abbatis: ergo & utriusque consensus concurrat necesse est in revocatione Syndici. Id quod confirmatur ex c. 29. de R. L. in 6. quod om-

nes tangit, ab omnibus approbandum est, & universim in majoribus negotiis, quale sicut est constitutio Syndici, ita & depositio ejusdem officio rito censetur, Prælatus opus habet consensu Capituli, saltem majoris partis. c. 1. § 3. de his, que sunt à majori. l. 3. § 4. ff. quod cujusque universi non. Unde & DD. communiter tenent, Præfectum Universitatis non aliter revocandi Syndicum potestatem habere.

habere, quam si potestas constituen-
di ad praefectum solum pertineat. We-
sbeck. Rosbach. Manz *de Syndicis* n.
89. nomine *Universitatis* autem hic in-
telligitur collectio hominum in socie-
tate quadam, seu Civili seu Ecclesiasti-
ca, viventium, ut sunt civitates, op-
pida, Collegia studiosorum, opifi-
cum, Monasteria, Ecclesiae &c.

Pro Abbate econtra pugnat Abbas
in c. m. *de Syndico* n. 6. Robert. Kö-
nig *ad. tit. n. 7.* & alii Canonistae, se-
cundum in c. *edoceri* 21. *de Rescr.*
ubi Abbas solus (sine Conventu) di-
citur ex officio causas & negotia sui
Monasterii procurare & agere (nisi
nempe Abbatis & Conventus bona
sunt distincta & separata; tunc enim
quoad causas Monasterii non posset se
interferere) ergo, si Abbas velit, po-
test revocato Syndico causas Monaste-
rii quoad bona, Abbati & Conventui
communiter, solus agere; cum sic uti-
tur iure suo; quamvis novum con-

stituere solus non valeat. Unde ruit
argumentum ex c. 1. § l. 35. ff. *de R.*
l. formatum; quia Jus Canonicum
in d. c. 21. facit exceptionem, dum
Prælato soli potestatem concedit a-
gendi causas Abbati & Monasterio
communes, & sic revocandi Syndi-
cum, licet ab utraque parte consti-
tutum: quae potestas soli Abbati facta
pariter in ruinam trahit, quod ex c.
29. *de R. l. in 6. ex c. 1. 3. § l. 3.*
4. *citt.* construere voluerunt Adversa-
rii. Neque paritas est inter Abbatem,
& Praefectum alterius Universitatis,
quia Abbati, non verò aliarum uni-
versitatum praefectis, conceditur in Ju-
re potestas agendi causas universitatis:
sed istis potius prohibetur, dum aliae
universitates non nisi per Syndicum
tractare lites permittuntur. l. 1. §. *qui-*
bus ff. quod cujusque Universi. Carpzov.
p. 1. *const. 13. definit. 5. allegans mul-*
tos.



D d

TITU-

(R. P. Pichler Decisiones.)